depono, et ita me tu ames, de Batano sinu, quem ille affectus incolit, quo te diligere, et quantâ par est observantiâ prosequi nunquam desiturus sum. Vale Vir Amplissime, et properanti nunc quoque ignosce tumultuariam dictionem. Hagæ Com: sacerrimo natali d: nostri J. Christi 1632.

Tuus.

(170)

Heinsio. Illustribus Polonis, quos nuper frustrâ commendasti, cum se possent maximè, officia ~~mea~~ omnia, quæ a mei loci homine, et quidem tui amantissimo expectare poterant, libens meritoque detuli; pauca præstiti, quæ pro humanitate summâ, quâ excellunt, arbitror habuisse grata et accepta. Quod nunc pro manu est ad te pertinet. Græci in quam versiculi isti, quos nuper inspexisti. Rogatur N. Mylius, ut excudendos curet, si prælo digni censeantur, quod in transcursu lector non dubitem asserere. Sed nimirum tuæ præcipua argumenti pars cum sis, et in magnâ tetrade, quam ~~in Triade sanius constitisset, se~~ se prodere autor putat, cum in Triade sanius constitisset, cum Rigaltijs, Mansacis, et quodam tertio noto compossafris, imprimis consulendus es, ecquid gratam editionem carminis habiturus sis. Adverte si tanti est, mentem, et sententiæ meæ suffragium ne expecta, nisi tuo in antecessu prodito. Parum est in morâ periculi, nisi quod noster Mylius gratificari amat, quam potest citissime. Vale Vir Summe et me ama. Hagæ Com: 15. Id: Jan: CIƆIƆCXXXIII.

Obiter

Barlæo. Clarissime Barlæo. (171)

Quadringentos florenos, quos illustrium laborum tuorum, nescio an vile prætium, dono tibi mittendos Princeps jussit, tuo nomine heri hic recepi. Eosdem Amstelodami ex assignatione, quam hisce adjungo, ab affine meo Bekkerio ut reciperes, potius duxi, quam ut viæ periculum adirent illi, tu subires impensam: Ad Usuras Mercatorias ista si exigas, poterant bis data videri si promptius, sed captandas horas, nobis, et momenta qui a aulâ gratificari amicis cupimus, aut pridem nosti, aut jam disce, et me ama, qui te constantissime. Hagæ Com: Non: Jan. anni CIƆIƆCXXXIII., quem porro prosperum et aureum tibi tuisque precor.

Tuus. C. H. Golio.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 55v
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/749